

1427
*Pugna ad
 Macclodium,
 ubi opes
 Philippi
 fractæ.*

nenſi quoque non pauca, ab hoſte relicta, quæ tutius ab eo oppugnari potuiſſent: illum vero ad Macclodium caſtra admoviſſe, quaſi in ejus loci oppugnatione magnum aliquod verteretur diſcrimen: ſed id certe in Caroli & aliorum contemptum fieri: iret igitur ille, & ſi veri Imperatoris nomen habere cuperet, eam ſibi & iis qui ejus auſpiciis Philippo militabant, demeret ignominiam. Clam hæc primo atque inter paucos, inde palam ac totis caſtris fremere: Sforcia & Picininus auctores pugnae eſſe. Contra Perguleniſis & Taurellus diſſuadere: cum eo hoſte ſibi rem eſſe dicere, qui cunctando tutius quam pugnando ſuperari poſſet. Hoc ipſum eſſe, quod Venetus Imperator quaereret, ut Philippi duces ſecum ad acie dimicandum quoquo modo traheret: exploratum ſe habere, eo die, quo cum hoſte (qui viribus & fortuna ſuperior eſſet) concureretur, Philippi res cladem omnino ingentem adituras. Audiebat hæc Carolus: ſed oculos in Sforciam & Picinum intendebat, quos utique Hectoras publica prædicatione appellare ſolebat. Audiebat ad hæc libenter multitudinem, pugnam alacri clamore poſcentem. Ferunt duos illos, qui omnium ferociſſime prælium ſuadebant, quos etiam non parva pugnandi libido inceſſerat, Carolo ſententiam roganti an cum hoſte conſigendum cenſerent, reſpondiſſe: Eum datum ſibi ex reliquis a Philippo Imperatorem: illius, non ſua intereſſe, proſpicere, jubereque quid demum fieri vellet. Quod ſi per ſe, quid factu opus eſſet, non facile diſcerneret, alios conſuleret. Nam quod ad ſe attinet, paratum utrunque eſſe, quemcunque juſſi eſſent ordinem ſervare, ſive in prima fronte eſſe vellet, ſive in extremo agmine: adeo nemo non alieno magis quam ſuo periculo ardua & difficilia molitur. Inclinauit Caroli animus tandem ad pugnam: edicitque Taurellum & Perguleniſem firmo claudere ſubſidio: Lavellanium & Sforciam prima fronte dimicare: Picinum cum lectis cohortibus poſt ſigna ſuccedere. Sed Perguleniſis & Taurellus inſigni ſe contumelia affectum iri rati, ſi eo nomine longe a pugnae periculo ablegarentur, quia cum hoſte

con-